Quelle: https://manuscripta.at/?ID=46681
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



CHIOS · II ·

eandem hũtes mercedem remunerationis. Tamquã filiis dico. Dilatamini et vos non habentes iugum ducentes cum infidelibus. Quae enim participatio iustitiae cum iniquitate. Aut quae societas lucis ad tenebras. Quae autem conventio christi ad belial. Aut quae pars fideli cum infideli. Vos enim estis templum dei viui. Sicut dixit deus quia inhabitabo in illis et ambulabo inter eos et ero illorum deus et ipsi erunt mihi populus. Propter quod exite de medio eorum et separamini dicit dominus et immundum ne tetigeritis. et ego recipiam vos et ero vobis in patrem et vos eritis mihi in filios et filias dicit dominus.

Has igitur habentes promissiones karissimi mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus perficientes sanctificationem in timore dei. Capite nos. neminem lesimus. neminem corrupimus. neminem circumuenimus. Non ad condempnationem vestram dico. Praediximus enim quod in cordibus nostris estis ad comorienduum et conuiuendum. Multa mihi fiducia est apud vos. et multa mihi gloriatio est pro vobis. Repletus sum consolatione. superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. Etiam cum venissemus macedoniam nullam requiem habuit caro nostra. sed omnem tribulationem passi sumus. foris pugne intus timores. Sed qui consolatur humiles consolatus est nos deus in aduentu titi. Non solum autem in aduentu eius. sed etiam in consolatione qua consolatus est in nobis referens nobis desiderium vestrum. fletum vestrum. emulationem vestram pro me. ita ut magis gauderem. Quoniam et si contristauit vos in epistola. non me modo penitet. et si me penituit. videns quod epistola illa. et si ad horam vos contristauit. nunc gaudeo. non quia contristati estis. sed quia contristati estis ad penitentiam contristati enim estis secundum deum ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Quae enim secundum deum tristitia est. penitentiam in salutem stabilem operatur. seculi autem tristitia mortem operatur. Ecce enim hoc ipsum secundum deum contristari vos quantam in vobis operatur sollicitudinem. sed defensionem. sed indignationem. sed timorem. sed desiderium. sed emulationem. sed vindictam. In omnibus exhibuistis vos incontaminatos esse in negotio. Igitur et si scripsi vobis. non propter eum qui fecit iniuriam. nec propter eum qui passus est. sed ad manifestandam sollicitudinem vestram. quam pro vobis habemus coram deo. Ideo consolati sumus in consolatione vestra. habundantius magis gauisi sumus super gaudio titi. quia refectus est spiritus eius ab omnibus nobis. Et si quid apud illum de vobis gloriatus sum. non sum confusus. sed sicut omnia de nobis in veritate locuti sumus ita et gloriatio nostra quae fuit ad titi